



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales**

**Arias, Francisco**

**Coloniae, 1615**

3. Quid sit propria voluntas, & vt sit mortificanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

*Quid sit propria voluntas, & quomodo  
mortificanda sit.*

**V**oluntas propria ab amore proprio discrepat, sicut à genere species, & à parte totum. nomine enim amoris proprii omnes affectus & motus inordinati tam sentientis, quam rationalis partis, quibus homo seipsum quærit, continentur. Voluntas verò propria duntaxat comprehendit actiones & commotiones partis intelligentis, quibus se, non Deum, homo quærit, tanquam primum finem. Quod vsu venit homini, quotiescunque cupiditate in rem quampiam nullo virtutis fine præstituto fertur, sed tantum facit, quia ita collibuit. De qua voluntate beatus Bernardus: *Lepra, inquit, nimis pessima propria voluntas, eo que pernitiosior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, que non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum.* Nulla opera bona ex hoc proprio amore fa-

*Serm. 3. de  
resurr.*

DE MORTIF. VOLVNT. 335

Et sunt grata Deo, quia recto fine de-  
stituta sunt, vti declarat Propheta I-  
saïas, quando populus obmurmurans  
querebatur, dicens: *Quare ieiunauimus, & Isaiæ dicit*  
*non aspexisti: humiliavimus animas nostras,*  
*& nescisti?* Et respondit Dominus: *Ecce*  
*in die ieiunij vestri inuenitur voluntas ve-*  
*stra: quasi diceret, non habuistis propo-*  
*situm in ieiunijs rectum finem, nempe*  
*meæ voluntati parendi, sed inordina-*  
*tos fines ex propria voluntate ortos.*  
In quæ verba beatus Bernardus: *Ego,*  
*inquit, non solum de ieiunio, sed de silentio, Serm. 61. in*  
*de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere Cant.*  
*manuum, postremo de omni obseruatione*  
*monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea;*  
*& non obedientia magistri sui, id ipsum sen-*  
*tio. Et paulò post exclamat: Grande ma-*  
*lum propria voluntas, qua fit, vt bona tua*  
*tibi non bona sint, quia nihil omninò quod*  
*propria inquinatum sit voluntate gustabit*  
*Christus. Nec solum huius mali causa est*  
*propria voluntas, sed multorum alio-*  
*rum inde manantium; sicut enim effi-*  
*cit, vt opera nostra Deo grata non sint,*  
*sic etiam vt transeant in noxam, ob quã*  
*digni reddimur pœna. Nam cum tenea-*  
*tur præstare opera ad obsequendum*  
*voluntati diuinæ, non præstat nisi vt*  
*obsequatur suæ: qua in re iniuriam fa-*

*Serm. 3. de  
resurr.*

cit Deo , vt notauit idem sanctus, dicens: *Voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant, & timeant serui propriae voluntatis.* Primò namque seipsum subtrahit & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Hæc aduersus Deum inimicitia exercens est, & guerram crudelissimam. Quia enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem. Cesset voluntas propria, & infernus non erit. Hæc omnia Bernardus, qui optimè intellexit, quàm pernitiolosus sit propria voluntas, quantaq; mala ex ea dimanent.

Verùm omiſſis grauioribus peccatis, ex propria voluntate natis, quæ penitentia expianda sunt, declarabimus tantum affectus inordinatos, occultaque quædam vitia, quæ ex ea oriuntur, qualia sunt teneri cupiditate rerum curiosarum, vt historiarum, vitæ ab hominibus actæ, & rerum futurarum. ynde fit vt homo se dedat lectioni librorum vanissimorum, itinera inuitia faciat ad huiusmodi spectanda, superstitionis quoque commentis sortium, cœlestium aspectuum, chiro-mantiæ, & alijs huiusmodi ad indagandos fortuitos euentus utatur. Deinde amare contentiones & lit-  
tes,

tes, nec discedere ab illis, nisi parva victoria: non subicere se aliorum imperio, non ferre aliorum monita, nolle legibus vllis ad officium compelli. In omnibus rebus venari commoda propria, nulli parcere labori in ijs, quæ cum quaestu priuato cōiuncta sunt, in communibus verò utilitatibus procurandis agere languidiùs: cogitationibus omnem impartiri licentiam, vt ferantur quocunque libido impulerit: alios in suam sententiam & voluntatem trahere, vt faciant quid, quando, & vbi ipse voluerit, nec quidem in licitis rebus aliorum voluntati se accommodare. Consuetudinem & amicitiam colere cum quibusdam, non profectus causa, sed quia ex eorum conuersatione capiunt voluptatem. Copiam rerum omnium adamare, nihil tamen alijs dare, vel commodare, ne aliquid de nostra commoditate detrahatur. Nihil velle sibi negari, importuneque petita extorquere. Nulla in domo vel loco diu morari, sed nulla necessitate facillè & data opera, quia libet, aliò commigrare. Si rei alicuius cupido in mentem veniat, non expendere, an conueniat eam exequi, sed mox excogitare media, quibus illa ad effectum deducatur.

Si eius auxilium in exercendo caritatis opere postuletur, vel si à Superiore idem imperetur, exclusa omni deliberatione, possitne facere, necne; repente se excusare, & onus in alios reijcere. Velle sibi promptissimam ab inferioribus obedientiam in imperatis, & ab omnibus qualibus in consultis præstari, non ob gloriam Dei, aut utilitatem illorum, sed tantum, quia ita visum est. Facile alijs contradicere in ijs, quæ palato non sapiunt, nullius autem contradictionem & obloquia ferre.

Hi, alijque similes sunt propriae voluntatis affectus, in quibus homo neque Dei gloriam, nec animæ suæ salutem, aliumve virtutis finem ante oculos obiectum habet, sed tantum laborat, ut suæ voluntati satisfaciat. Quare efficitur, ut opera inde nata sint inordinata, & Deo ingrata. nam ut Sanctus Gregorius scribit, qui propriam voluntatem sectantur, sæpè arbitrantur opera sua grata esse Deo, & tamen ab eo, licet grandia sint, & præclara, minimè approbantur.

*In 1. Reg. 6.  
15.*